

rum fuisse constat. Quid vero repetitis literis *lr* significetur, haud ita in promptu est statuere. Fortasse literæ *lr* primæ verbi Etrusci *Filius* erant: fortasse etiam eadem voce & filius, & prænomen denotabatur. Profecto plurima Romanorum prænomina aliam etiam significationem habuisse, docuerunt jam superius laudati Sigonius, & Panvinus. Ac ne his solum conjecturis res agatur, aliam haud piget apponere. Græci, patris nomen, gignendi casu efferebant. Hinc ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ, ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ. Num idem Etrusci facere non potuerunt? fecerunt equidem Latini, quo conjugium denotarent; inde Metella Crassi in Sepulchro Metellæ, Catonis Marcia Lucano Vid. etiam Not. VI. & XXXII. Jam vero si ita mos fuit Etruscis, prioribus literis *Lr*, Fatium Lartis filium fuisse, satis significatur: repetitis vero literis *Lr*, Avus item Lar designatur, eodem ferme pacto quo in Romanorum monumentis L. GELLIVS L. F. L. N. L. MVNATIVS L. F. L. N. occurrunt, ac in nostris.... RONIVS TI. F. TI. N. Marm. XLVI. .... LIVS. M. F. M. N. Marm. L.

ΣΤΕΜΤΕΝ *Neruis* verbo STE, quo Stellatina Tribus designatur, respondet; Ac hujus quidem vocis explicationem felicioribus ingenii integram relinquo, quod vitio mihi haud verendum esse confido; tutius est enim aperte, atque ingenue fateri nescire, quod nescias, quam levissimis, nulloque satis probabili fundamento fultis conjecturis rem transigere.

†ΥΝ†Υ 9† *Trutnur*: facilis quidem, nisi omnia me fallunt, hujus vocis interpretatio: verbum enim latinum *trutinor*, quoniam e fonte repetenda illa sit, indicare satis videtur; Haruspices enim cujuscumque tandem generis fuerint, res inquirebant diligentius, ut divini inde judicii interpretationem promerent: *trutinabantur* igitur, seu examinabant Deorum mentes; ac proinde recte *Trutinatores* dici poterant, atque, ut ab Etrusco, seu Italico *Trutnut* Latinum *trutinor* deducendum censeo, ita idem Etruscum *Trutnut* a Græco Τρυω, unde τρυτανι revocandum lubens concedo.

ΣΑ†ΜΛ 98 *Frontac*. Reddi hoc verbo Latinum verbum *Fulguriator* docuit Etruscarum literarum decus Ludovicus Bourguetius in Dissertat. de Etrusc. Alphab. pag. 15. editâ Tom. I. Dissert. Academ. Cortonen. Verum in eo mihi lapsus fuisse videtur doctissimus Vir quod tertiam Etruscæ vocis litteram Q referre existimaverit, ut innui in Dissertatione de duobus